



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### De Cultu Sacrosancti Cordis Dei Ac Domini Nostri Jesu Christi

Galliffet, Joseph de

Romae, M.DCCXXVI.

Praxis II. ex Lanspergio desumta.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-45817](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-45817)

» bonum promanat, emendanda atque perficienda com-  
 » mendabit. Iterum in farrag. utiliss. instit. sub finem,  
 inter illa documenta quæ notatu digna inscribit, idem  
 » docet his verbis. Sæctator vitæ spiritualis, opera &  
 » exercitia sua divino Cordi Jesu Christi emendanda  
 » perficiendaque commendet. Item in scriniolo spirit.  
 » Sic Deum Patrem orat: Pater Cœlestis! ego pro fri-  
 » gida & misera cordis mei ariditate, offero tibi fervida  
 » desideria, ardentissimumque amorem Cordis dilecti  
 » filii tui Jesu Christi. Denique in articulis vitæ Chri-  
 » sti, articulo 23. de Corde Jesu ita loquitur. Utinam  
 » hoc Cor suavissimum, hoc amœnum beatitudinis  
 » gazophilacium sit mihi in morte salus & solatium,  
 » & post mortem æternum domicilium. Alia ejusmo-  
 di non pauca, de Corde Jesu, in operibus ejusdem  
 Blossii reperiuntur, ex quibus non obscure intelligitur,  
 quanti faceret praxim illam toties a se inculcatam.

## P R A X I S I I.

*Ex Lanspergio desumpta.*

Joannes Lanspergius, ob eximiam pietatem justus  
 cognominatus, ex ordine Carthusiano, doctrina &  
 usu rerum spiritualium commendatissimus, qui sub  
 initium sæculi 1600. floruit, quid de cultu Cordis  
 Jesu sentiret, declaravit in eo opusculo, quod, *pha-*  
*Lib. 1. part. 5. initio.* *retia divini amoris Apostolicaque perfectionis*, incri-  
 ptum voluit. Ubi de cultu Cordis Jesu ex instituto  
 » tractans, hæc habet. Ad venerationem Cordis piis-  
 simi



fimi D. N. Jesu Christi amore & misericordia exuberantissimi, studeas te ipsum excitare, ac sedula devotione ipsum frequentare: illud osculando & mente introeundo. Per ipsum petenda petas, & exercitia tua offeras: quia charismatum omnium est apotheca, & ostium per quod nos ad Deum, & ipse ad nos accedit. Itaque figuram aliquam dominici Cordis... ponas in loco aliquo, per quem sapius transire debeas, qua sapius exercitii tui, & amoris excitandi in Deum, admonearis... posses etiam, urgente devotione, internam figuram hanc, id est Cor Domini Jesu osculari, & animo tuo pervadere; quasi verum deificum Cor Domini Jesu sub labiis habeas osculandum: in quod Cor tuum imprimere gestias, atque spiritum tuum immergere, absorberique desideres: videarique tibi, ex gratioso corde ipsius attrahere in cor tuum Spiritum ejus, gratiam quoque ejus & virtutes, ac prorsus quicquid fuerit ibi salutare; quod mensuram excedit. His enim omnibus Cor Jesu exuberantissime scatet. Expedit autem & valde pium est, Cor Domini Jesu devote honorare: ad quod in omni necessitate confugas: unde quoque consolationem & omne auxilium haurias. Nam ubi cunctorum te mortalium corda deseruerint, ubi imposuerint tibi: securus esto, hoc fidelissimum Cor te non decipiet, nec derelinquet.